



Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Veluti Totidem Ramos
Distributa

Ilsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCXI. S. Joan. Bapt. suorum Discipulorum cum Christo
æmulationem reprimit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

12 Ab Octava SS. Corp. Christi usque ad Adventum.
dictum implebis, Gal. 2. v. 19. Christo confixus sum
Cruci.

PUNCT. III. Tertium documentum Nicodemo
à Divino Magistro traditum refertur à Joanne. c.3.v.
19. *Hoc est autem iudicium: id est, causa iudicij & con-
demnationis; Quia Lux venit in Mundum, & dilexe-
runt homines magis tenebras, quam Lucem &c.* Nempe
Christus, qui est Lux mundi, venit, ut suâ Doctrinâ
& Exemplis dissiparet tenebras ignorantiae, falsorum
dictaminum, errorum practicorum circa mores, &
ipsorum peccatorum, quæ passim in Scriptura tene-
bræ appellantur: sed *Dilexerunt homines magis tenebras,
quam Lucem.* Hoc proinde documentum Ni-
codemo, & tibi Cælestis Magister indicavit, ut omni
mundi Sapientiae, quæ aliud nihil est, quam tenebræ,
præferas Doctrinam Christi: & ab ejus Exemplo,
nullis hominum factis, aut dictis te dimoveri per-
mittas.

M E D I T A T I O CCXXI.

*S. Joan. Bapt. suorum Discipulorum
cum Christo emulacionem reprimit.*

Joan. 3.

PUNCTUM I. Cùm Christus ex Metropoli Judææ,
nempe Jerosolymis, ubi Nicodemum & multos
alios ad credendum in se converterat, cum Discipulis
suis in reliquam Judææ regionem venisset, & per Di-
scipulos suos in eodem flumine Jordane, in quo Jo-
annes, multos ad se accurrentes baptizasset; *Facta est
questio ex Discipulis Joannis cum Judæis de Purificatione.*
Joan.

Joan. 3.v. 25. id est, Discipuli Joannis cum Judæis Christum sequentibus contendebant de Baptismate Christi; illi enim Joannis Baptisma, utpote antiquius, & à Christo humiliter receptum, æmulatione quadam præferentes *Venerunt ad Joannem, & dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, & cui testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum.* v. 26. Unde considera, quomodo etiā ob sanctas functiones, pro D E I Honore, & Proximi Salute susceptas (quando hic finis non unicè spectatur, sed insuper propria gloria, vel quocunque aliud emolumentum quæritur) inter viros Virtuti deditos æmulatio subrepatur, & unus alterum impedire conetur, suum temporale commodum præferens multarum Saluti Animarum. Magnopere ergo cavendum est à tam communi, periculoſo & noxiō æmulationis vitio, & solius D E I Gloriæ, ac Animarum Salutis intentione, radicitus evellendum. Econtrariò etiam non curandæ sunt imprudentum, ac parùm mortificatorum hominum oblocutiones, & murmurationes; ob quas Christus, & Discipuli ejus non permiserunt se impediri à Sanctis suis functionibus.

PUNCT. II. S. Joannes Bapt. susurratione suorum Discipulorum, & prætextu ingratitudinis contra Christum allegato, non tantum se non permisit commoveri, sed potius gavisus est, Christum sibi præferri, dicens: *Gaudium meum impletum est. Illum oportet crescere, me autem minui.* v. 29. Sic nullis, quantumvis speciosis rationibus, te fines contra alium concitari; quia vel falsæ communiter sunt, vel insufficientes ad dissolvendam Charitatem, ac Pacem animi. Si etiam serio te omnibus postponas, & ab alijs

14 *Ab Octava SS. Corp. Christi usque ad Adventum.*

alijs postponi cupias, facile de quovis, qui tibi præponitur, dices: *Illum oportet crescere, me autem minui.* Hic ergo in mundo recumbe in novissimo loco, ut in Cælo tibi dicatur: *Amice, ascende superius.* Luc. 14. v. 10. Sequere illam Christi admonitionem, Marci. 10. v. 43. *Quicunque voluerit in vobis primus esse, sit omnium servus.*

PUNCT. III. Considera, quanti æstimaverit S. Joannes Baptista Doctrinam Christi tam ratione objecti, quam ratione certitudinis, utpote continentem veritates planè Cælestes, & certas: *Qui de Cælo venit, super omnes est; et quod vidit, et audivit, hoc testatur.* Joan. 3. v. 31. *Quem enim misit DEVS, verba DEI loquitur; non enim ad mensuram dat DEVS Spiritum. Pater diligit Filium, et omnia dedit in manu ejus.* v. 34. Quæcunque ergo adversantur Doctrinæ Christi, falla reputa, inania, & noxia.

M E D I T A T I O CCXXII.

De Conversione Mulieris Samaritanae

Joan. 4.

PUNCTUM I. Cum Christus Jerosolymis anno æta-
tis trigesimo primo à Paschate cœpisset prædicare,
ac deinde à principio Aprilis per suos Discipulos etiam
baptizare, reliquam Judæam pertransiens (ut dicitur
Joan. 3. v. 22.) ad declinandam Phariseorum in-
vidiam, & odium ob multitudinem accurrentium ad su-
um Baptisma, rursum ex Judæa secessit in Galilæam,
ut refert S. Joan. c. 4. v. 1. *Oportebat eum transire per Sa-*
mariam. Venit ergo in civitatem Samariae, non intrans
urbem,